# Les exhortations capitulaires de Nicolas Psaume

Devenu «commendataire et futur abbé de Saint-Paul» de Verdun, en 1538, Nicolas Psaume (1518-1575) reçut la charge d'abbé régulier en 1540. Son premier but fut de réformer son abbaye. Parmi les moyens à sa disposition, il y avait celui des exhortations capitulaires.

Psaume s'adressa à ses confrères, à plusieurs reprises sans que l'on puisse dire quoi que ce soit sur la périodicité de ces allocutions dont la plupart ne sont pas datées. Certaines de ces exhortations ont été préparées, rédigées et transcrites dans un cahier, par Psaume lui-même entre 1540 et 1545. Ce manuscrit, conservé à la Bibliothèque Municipale de Verdun (ms. 15) sous le titre: *Exhortationes variae D.N. Psalmei Abbatis ad fratres sancti Pauli incipiendae a die 13 Decembris 1540*, est le seul écrit autographe de Psaume, antérieur à son épiscopat.

L'intérêt de ces exhortations réside dans le fait qu'elles nous font connaître Psaume, huit ans avant qu'il ne devint évêque de Verdun, et qu'elles font apparaître plusieurs éléments caractéristiques de sa pensée. En fait, ces quelques homélies mettent en relief les études faites par Psaume, à l'université de Paris et l'influence qu'elles exercèrent sur la personne du futur évêque de Verdun. L'abbé de Saint-Paul de Verdun apparaît dans ces pages, comme un bon représentant de la culture théologique et humaniste du XVI° siècle français, fortement marquée par l'enseignement de Gerson.

La transcription de ces quarante trois folios (recto-verso) a posé de nombreuses difficultés. Le texte est difficile à lire, car il s'agit de notes personnelles réunies par Psaume pour sa prédication. Les râtures, les ajoûts entre les lignes, dans les marges, en bas des pages, ne facilitent pas la lecture d'un texte pourtant bien conservé dans son ensemble.

Nous présentons aujourd'hui une édition diplomatique de ces exhortations et nous réservons pour une parution ultérieure, la traduction française de l'ensemble du manuscrit avec références critiques.

Il nous est agréable d'exprimer notre gratitude au Père Bernard Montagnes O.P. archiviste de l'ordre des Frères Prêcheurs, à Monsieur

Michel Hayez, directeur des Archives Départementales de Vaucluse, à Monsieur Calvet-Bosc professeur de Lettres, pour leur aide, leurs conseils et leurs encouragements. Notre reconnaissance va également à Madame le conservateur de la Bibliothèque Municipale de Verdun qui nous a donné les moyens d'étudier ce manuscrit sur photographies.

Abbaye de Saint-Michel de Frigolet — Bernard ARDURA o. praem.
F-13150 Tarascon-sur-Rhône

Exhortatiuncula ad fratres per me N. Psaulme (fol. 6, r.)
abbatem super reformatione conviviorum habita
die 13 decembris 1540.

Etsi vobis mirum fortassis, fratres carissimi, quid sit cum multis ab hinc seculis in vobis maxime invaluerit qua afficiarii quique nescio quibus suffultis munnimentis proxime hisce diebus singulatim symposia tante ac opipare extructa celebrare coguntur. Hanc primo quoque tempore abrogare et extirpare contendam et eo quidem magis quod quae a nobis tradita sunt majoribus inconcusse atque inviolabiliter observanda sunt, nec debeant in desuetudinem abire. Nihilominus considerans tam vocationi nostrae contrarium quod ministrare mensis Cereri ac Bacho immolare, Thali archam agere, operae pretium fore ratus sum modicum istud fermentum ne totam massam fermentaret corruptelam hanc convivalem quantumvis longo temporis intervallo praescriptam. Quae consuetudo dicenda non est cum sit bonis moribus omnique et juris et aequitatis dictamini inimica. Non quidem funditus e medio tollere ne vobis sit quaerimoniae locus sed quantus a legitimo juris tramite devia est ad mediocritatem | deducere. Nam enim hinc nascantur crapulae ebrietatis (fol. 6, v.)
quae mentis exsitium inducunt et libidinis provocant incentivum (a crapula de vi. & ho. cle.) ac tantum malorum agmen secum trahunt ut non immerito olim partes ab esu carnium et vini abstinerent (c. ab exordio 35 dist.) et apud Aegyptos nephas esset sacerdotibus vinum bibere et ut semel firmam auferunt memoriam, sensum dissipant, confundunt intellectum, linguam impediunt, concitant, corrumpunt sanguinem et omnia membra debitant et contremiscere faciunt, teste Augus-

tino cumque antiquorum philosophorum dogmata, pontificiae sanctiones legesque divinae ubique ad sobrietatem cibi potusque abstinentia adhortentur vel obnixissime et quod vos magis monere debet (Hieronimus in c. legimus de conse. dist. 5 dictat) legimus quosdam articulari et podagrae morbo detentos proscriptione bonorum ad tenuem mensam et pauperes cibos redactos convaluisse quid attinet his convivialibus crapulis studere et intentos esse. Quare hortor atque moneo semel atque iterum fratres, et nihilominus in christianae obedientiae principio uti in posterum ab hujusmodi bachanaliorum celebratione abstineatis, ac ne videar nimium recreationis habenas cohibere permitto sumptus qui alias fieri solebant a praenominatis officiariis ad fluxenum universum in ecclesiasticam veram aliam sententiam convertendum reduci.

(fol. 7, r.) Exhortatiuncula ad fratres qualiter qualiter 24 die decembris 1540 per me N. Psaulme in capitulo habita

Si quis vestrum Caesaream majestatem aliumve principem terrenum hospitio suscepturus esset, is procul dubio omnibus modis laboraret illum laute splendido et magnifico cum apparatu atriis, cenaculis, tricliniis, cubiculis, areis omnique denique domicilii parte primitus ab omni peripsemate et spurcitia purgatis excipere. Si vero nullam hospitii preparationem faceret, si non ornare studeret, sed sordido in loco fetenti, morbido et pestilenti collocaret num imperatoriae celsitudinis istum esse contemptorem atque ex hoc ipso facto lesae majestatis reum, pro tantaque injuria et contemptu gravioribus plectendum fore suppliciis merito judicaretur. Quanto igitur deteriora eos mereri putatis supplicia qui cum advenerit Rex Regum et dominus dominantium dominus noster et Rex noster quem inferna tremunt et adorant angeli atque verentur, defunctorie se gesserint domicilium undique blattis et tineis consperum ad regem illum suscipiendum ne latum quidem unguem ornare studentes. Quocirca hoc quidem tempore summopere est nobis elaborandum ne dum a multis abhinc diebus summi illius et super gloriosissimi imperatoris adventum expectamus indigne et impreparate suscipiatur, scitote (fol. 7, v.) autem quod jam | hora instat e somno surgere, dormire sat est expergiscimini, vos ipsos omnibus modis examinate et explorate ne quid sordidum, fedum et immundum in templis vestris reperiatur. Appropinquavit enim Dominus noster et Rex noster et non tardabit. Ecce occurramus ei

unanimi voce dicentes: Osanna filio David, Benedictus qui venit in nomine domini celebrantes festivitatem adventus illius in azimis sinceritatis et veritatis. Quid ita. Jam enim propior salus nostra quam credamus hic venit ut populus qui ambulat in tenebris lucem videret et per ipsum servaretur. hodie illuxit dies redemptionis novae reparationis antiquae foelicitatis eternae. Exultemus igitur in domino, dilectissimi et spiritali jucunditate gratulemur cum venerit salvator noster peccati mortisque destructor, sicut nullum domicilium a reatu liberum reperiet ita, liberandis omnibus, veniet, exultet sanctus quia appropinquat ad palmam, gaudeat peccator quia veniam invitatur animetur gentilis quia vocatur ad vitam. O Magnum et admirabile adventus sacramentum o salutiferum et omnibus exoptatissimum tanti Regis adventum. O superineffabilem aeterni regis dilectionem qui pro salute mundi non horruit virginis uterum factus obediens ad mortem usque sic enim de eo loquitur Esaias propheta, ipse vulneratus est propter iniquitates nostras et atritus propter scelera nostra et iterum propter scelus populi mei percussi eramus. | Expergiscimini itaque et sursum erectis cordibus vos ipsos Regi (fol. 8, r.) aeterno preparate venite adoremus et coram eo procedimus probe invenientes faciem ejus in confessione, hic etenim venit ut cunctas iniquitates nostras abstergat, cupiens ut ab illis imposterum recedamus et nobiscum de illis rationem minime ducat sed tamquam tabulae fiamus incensis omnibus debitorum nostrorum chirographis si illi facinora nostra confiteri non erubimus. Atque huc quidem praesentis exhortatiunculae scopus, ut inquam, illi confiteamur quod pollutum sit et conspurcatum, quod sibi vult sacrare hospitium atque templum agnoscentes nos ipsos immundos peccatores esse quia benignus et misericors est Rex et dominus noster patiens et multae misericordiae et praestabilis super malitia. Et ne ullus nobis esset excusationis relictus locus methodum idem nobis ore prophetico adperire voluit. Confitemini, inquens psalmo 105, domino, bonus est. Est autem animadvertendum duplicem in scripturis esse confessionis acceptionem. Quaedam enim laudantis altera vero gementes est. Laudantis ad honorem ejus qui laudatur gementis autem confessio ad poenitentiam ejus qui confitetur pertinet. Quae quidem distinctio intellectu pernecessaria est proptereaque eum quis sua confitetur peccata cum dei | laude confiteri debet nec aliter pia (fol. 8, v.) est peccatorum confessio nisi ejus laudem contineat sine in verbis, at cum eum bonum et misericordem dicimus, sine in solo affectu cum hoc credimus. Publicamus enim cujus illa sola verba commemorata sunt, domine propitius esto mihi peccatori, etsi non dixerit quod bonus esset,

et misericors aut aliquid hujusmodi non in illud dixisset, nisi credidisset. Neque injuria nos ipsos incusantes misericordiam ejus extollere debemus. Nam si pro meritis nobiscum ageret nemo non quantus quantus sit plagis multis vapularet atque in profundum infernorum pelagus demergeretur ubi fletus et stridor dentium. Quanta ergo in gementis confessione praeconia inesse debent. Confitemini igitur cum dei laude peccata vestra domino. non enim veniam mereri possumus nisi facinora nostra domino deo confessi fuerimus agnoscentes nos peccatores esse. Si enim aegrotus vulnera regit quo illi a medico adhibebitur medicina, confitemini ergo domino non enim alicui crudeli confessurus es, o frater, sed domino non ultiori non insultori, non vult ulcisci malitiam qui confiteri delicta persuadet, optat solvere confitentes, ne contumaces punire cogatur, vult deus misereri cunctorum, vult ignoscere, vult sese confitenti
(fol. 9, r.) propitium exhibere. Non enim est voluntatis suae mors, sed magis | ut convertatur et vivat et iterum tu aut fornicata es cum amatoribus tuis tamen revertere ad me et ego suscipiam te. Jeremiae 2°. Confitemini securi et cum spe veniae. Dominus quippe bonus est. Quid quoniam bonus est. Quid times confiteri. Bonus ignoscit confitenti. Time confiteri judici homini ne forte confessionem puniat domino noli quia bonus est et ignoscit confitenti. Confitere ergo domino securus, mi frater, quis es enim (quaeso) qui illi ploras et illi confiteris nisi quem fecit atqui non parvi momenti apud architectorem res facta non quodcumque sed ad similitudinem et imaginem suiipsius. Confitemini igitur securi domino quoniam bonus est. O immensa dei Op. Max. benignitas clementiaque quae offensa nos aversos et perire volentes tam dulciter revocat, tam amator invitat. Quid ad hanc bonitatem accedere potest. O admirandum et fidelium mentibus jugiter inculcandum divinae clementiae mysterium. Cogitate, quaeso, fratres charissimi, diligenterque apud vos ipsos discutite quae et quanta sit dei in nos dilectio. Qui pater filium tantopere diligat, ut pro vita ejus mortem oppetere velit et toties sibi offensum tam
(fol. 9, v.) benigne suscipiat filium. Atque haec quidem christi actio | nostra debet esse imitatio ut nos ipsos invicem diligamus alioqui deum abnegare fateamur necessum est. Nam donum illud charitatis et dei dilectionis a Spiritu Sancto proveniens proximi dilectionem necessario trahit haud secus atque opaci corporis umbram ad quam quid summo conatu aspirare debemus in hoc enim pendet omnis legis plenitudo, haec est lex et prophetae ut nos invicem diligamus sed haec satis super satis super est verbulum unum ut nos ostendemus qualiter deo confiteri deo debeamus ut tandem presbiterum ecclesiae pastorem nostrum adire valeamus

redditurì rationem debitorum nostrorum qui super nos oret et certissimam ostendat peccatorum remissionem. Non enim omni moda confessio accepta est sed quae fit ex toto corde contrito et humiliato. Est enim contritio janua salutis et prope est dominus his qui obtinuerunt cor. Item sacrificium deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum deus non despiciet. Psalmus 50. Item convertimini ad me in toto corde vestro et ego convertar ad vos. Conversio si quidem dicitur quasi cordis versio. Haec si adsit, fratres, contritio certissimo credita remissa iri peccata vestra dominus enim ore prophetico dixit In quacumque hora ingemuerit et conversus fuit peccator vita vivet et non | morietur. Item (fol. 10, r.) Johelis 2°. Scindite corda vestra et non vestimenta ex quo ostenditur si piis interpretibus credamus, in cordi contritione quae per ejusmodi scissionem intelligitur non oris confessione quam scissuram vestium nominavit peccata remitti. Atque per contritionem seu trituram cordis nihil aliud intelligamus quae ut agnoscamus admissa, agnita detestemur lacrimisque extergamus. Et quamvis in cordis hujusmodi tritura facinora relaxari in liquido constet est tamen necessaria sacramentalis confessio quam alii auricularem vocant, non quidem ne quis erret, ad veniae impetrationem sed ostensionem poenitentiae et peccatorum remissionis declarationem et ut inquit Bernardus Ideo jubemur confiteri peccata ut erubescentiam habemus pro poena. Erubescentia enim magna est poena et ideo qui pro Christo erubescit dignus est misericordia de qua fusius aliquando deo auxiliante dicturi sumus. Haec interim veluti per transennam a me dicta sunt.

Exhortatio ad poenitentiam.

Convertemini et agite penitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris et non erit vobis in ruinam iniquitas; pollicite a vobis omnes iniquitates in quibus praevaricati estis et | facite vobis cor novum et spiritum novum et (fol. 10, v.) quare moriemini domus Israël. Quia nolo mortem morientis, dicit dominus deus revertimini et vivite Ezechie. 18.
Retournez vous et faictes pénitence de toutes vos iniquitez, et liniquité ne vous serat point en ruyne. Jettez arrière de vous toutes vos iniquitez, esquelles avez este prévaricateurs, et vous faictes ung nouveau cueur et ung esperit nouveau. Et pourquoy mourriez vous maison de Israel? Car je ne désire point la mort de celuy qui meurt dict le Seigneur. Retournez vous et vous viverez. Agite poenitentiam et credite Evangelio Marci

primo. Poenitemini et convertamini ut deleantur delicta vestra Acto. c. 3. Quare instituta est penitentia? ob peccatorum remissionem. Quod est penitentia. Est qua vera contritione morimur peccatis et fide nos erigimus e peccatis ad accipiendam remissionem peccatorum. Ex qua deffinitione manifestum est duas esse penitentiae partes contritionem et fidem quae in vera penitentia concurrere debent nec a se invicem avelli possent. Nam dolere de peccatis non facit integrum penitentiae effectum nisi et fidem addideris ut corde dolere de peccatis et erigere se fide ut remissio-
(fol. 11, r.) nem | peccatorum accipias. Exemplum David (secundo Samuelis) objurgatus a Nathan et perterrefactus inquit peccavi domino. Ea pars contritio est postea addit propheta absolutionem Dominus sustulit peccatum tuum non morieris. Haec vox erigit Davidem et fide sustentat et vivificat eum. Item Numeri 21 populus propter peccatum afflictus abit ad Mosem inquiens peccavimus contritio haec est. Postea jussu Moses fide eunt ad aeneum serpentem quem dominus erigi fecerat et sanatur vides igitur quoniam concurrunt. Item Ambrosius ait Agendam penitentiam et tribuendam veniam credere nos oportet, ut veniam tanquam ex fide speramus quam tanquam ex syngrapho impetrat fides. Augustinus in libro de penitentia ait: Sicut penitentiae comes est dolor ita lachrimae testes sunt doloris. Bona opera etiam externa testantur veram penitentiam esse. Judi. 10. Confitetur Israel peccata sua et simul ostendit externis factis se vere poenitere ideo abiicit idola. Quare deus liberat Israel a servitute philistinorum et Amon. Contritio est verus pavor seu terror conscientiae quae sentit deum irasci peccato et dolet de peccatis.
(fol. 11, v.) Effectus contritionis est dolere de peccatis agnitis, | Ingemiscere corde propter peccata et simul illa confiteri. Nam ad contritionem requiritur peccatori coram deo confessio unde David Dixi confitebor etc... Agnoscere corde peccata ad quam cognitionem hortatur. Hiere. cap. 2. 3. & 4 Tu vide dolere de peccatis ex corde cum propositio mutandi vitam in melius. Fides quae est altera poenitentiae pars est qua sursum liberantur conscientiae ex pavore ad certam remissionem peccatorum ne disperent magnitudine et copia peccatorum teritae. Confessio quae fit coram deo est qua quotidie confitemur coram Deo peccata nostra damnantes nos injustos et miseros peccatores ut ex misericordia dei quam imploramus remittantur nobis peccata nostra.

Auricularis confessio est in qua haerentes conscientiae ac dubiae adeoque peccatis oneratae quaerunt per verbum explicationem, institutionem solatiam et certam rationi provenienti ad remissionem peccatorum quam credentes etiam accipiunt propter absolutionem et potestatem clavium.

Hoc enim peccatis oneratus plerumque se solari non potest vel quia in verbo non ita bene doctus est vel quia graviora sunt certamina conscientiae quam ut possit haec se ex illis explicare. | Igitur omnibus modis (fol. 12, r.) necessaria et utilis est haec confessio ut per illam instituantur conscientiae et discant sibi quaerere solatia ut remissionem peccatorum accipiant. Sequi vero remissionem peccatorum in hac confessione propter absolutionem et potestatem clavium docent hi loci: Qui vos audit me audit. Quorum remiseritis peccata, illis remissa erunt. Causa hujus confessionis est humana vanitas. Effectus instituti meliores accipere solatium ex institutione accipere remissionem lucrari lapsum, reconciliare lapsum ecclesiae, admonere et deterrere eum a facilitate labendi.

Non est iteranda penitentia in multitudine baptismatum. Paulus ad Hebreos VI. Est autem post baptismum penitentia. Locus Paulus ad Eph. Surge qui dormis etc...quid hoc aliud est quam ex operibus mortuis vocare ad penitentiam. Item ad Timotheum ut cum mansuetudine corripiat eos qui resistunt ne forte det deus penitentiam ad cognitionem veritatis et resipiscant a laqueo diaboli. Et in Apocalipsi si omnes ferme angeli septem ecclesiarum qui erant illarum ecclesiarum episcopi quod haberent aliquid operis mortui admonentur | penitentiam agere.. (fol. 12, v.) Primo Angelo dicitur: Memor esto unde excidens et age penitentiam et prima opera fac. Tertio dicitur similiter penitentiam age. Et Quinto dicitur In mente habe qualiter acciperis et audieris et serva et penitentiam age. Et septimo Aemulare ergo et age penitentiam. Ecce quomodo fidelibus post lapsum relinquatur penitentiae locus. Sed quid faciendo Paulus ad Hebreos quinto ostendit nempe adeundo cum fiducia ad thronum gratiae ut misericordiam accipiamus ut gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Si peccavimus post regenerationem in Spiritu et maculavimus candidam regenerationis tunicam in sanguine Christi totam candidiorem factam vestimentis fullonum nos habentes pontificem magnum Jesum Christum teneamus confessionem non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris. Ecce quomodo post lapsum confugientes ad thronum misericordiae Christi remissionem peccatorum consequimur; quod fit quando penitemus dolemus et corde contristamur de peccatis erroribus nostris. Nam ut ait apostolus qui secundum deum tristitia est penitentia in salutem stabilem operatur quando inquam dolemus et contristamur corde et confitemur ore peccata nostra pontifici nostro magno, qui pour aultant que le temps est venu au quel par le sacrement Paul Ecce tempus etc... advenerunt et | semper (fol. 13, r.) pro nobis paratus est ante patrem ut redemptibus ad cor peccatorum

presentet remissionem. Quare dicit Joannes: Si confitemur peccata nostra fidelis est et justus ut remittat nobis peccata nostra et emundet nos ab omni iniquitati. Verum hic confitendi modus ab ecclesia determinatus est. Vide amplissime fabula in sextum cap. ad Hebreos. Penitentia non delet peccata (Est enim Deus qui remittit et delet) sed preparat. Penitemini et convertimini ut deleantur peccata vestra Acto. 3 Faictes penitence et vous convertissez, affin que vos pechez soient effacez. Le présente collation serat terminé en la déclaration du passage préallégué, par lequel nous sommes admonestez que nous ayons a faire penitence affin par moyen dicelle nous soyons preparez a recepvoir de nos pechez remission (Je vous dis preparez quia penitentia non delet peccata (Est enim deus qui remittit et delet) sed preparat viam). Ideo dicebat divinus dei praecursor cum penitentiam predicaret: Parate vias domini et rectas facite semitas ejus par le merite de leffusion du precieux sang de nostre Seigneur quam jugiter offert deo patri pro penitentibus et confitentibus (fol. 13, v.) peccata sua. Et affin que nous puissions sçavoir que c'est | faire pénitence, et pour quoy nostre mere saincte eglise conforme a levangile a institue le sacrement de penitence. Tiercement les choses requises a vray penitence. Quartement nous demonstrerons le fruict et utilite provenant dicelle. Quand au premier penitentia est quaedam perturbatio mentis in bonum nascens ex recordatione peccati et timore gehennae. Aultrement dit Penitentia-Peccati commissi cum intima contritione et firmo amplis peccandi proposito emendatis – est mala peccata plangere et plangenda iterum non admittere. Et haec vera penitentia. Ille si quidem digne penitentiam agit, qui sic peccata mala deplorat ut futura iterum non admittat. Nam qui plangit peccatum et iterum illud admittit quasi qui lavet laterem crudum quem quanto magis abluit tanto magis lutum facit. Ille de penitentia dist. 3 Et pour ce monseigneur sainct Augustin au chapitre penitentes de pene. dist. 3 Penitentes si tamen penitentes estis et non irridentes mutate vitam reconciliamini deo, Nam si adhuc facis quod jam fecisse penituit non es penitens sed irrisor. Il ne suffit donc a vray penitence d'avoir grande deplaisance si aussy navons bon propos (fol. 14, r.) de ne plus recidiver et perseverer en ladite diffinition. | Iterum plangenda non committere sed bonae vitae propositum conservare. Innanis est quippe penitentia quem sequens culpa coinquinat vulnus iterum sanatur tardius frequenter peccans et lugens vix veniam meretur, nihil prosunt lamenta si replicantur peccata, nihil valet veniam a malis poscere et mala denuo iterare ut ait Augustinus in c. Ioannis de penitentia dist. 3 pourtant dit le prophete Esaie Lavamini, mundi estote. Lavatur autem

et mundus est qui peccata plangit et flenda iterum non admittit. Lavatur et non est mundus qui plangit quae gessit nec deserit. c. Irrisor de penitentia dist. 3. A ce propos monseigneur sainct Paul ad Heb. 6 dit que terra saepe venientem imbrem et proferens herbam opportunam illis a quibus colitur accipit benedictionem: quam aufert spinas et tribulos reproba est: par lequel passage il demonstre que qui post lapsum institutionem per penitentiam et peccatorum confessionem vere in mala renovatur opera tanquam ager sterilis maledictionis sunt filii Ex praecedente tibi constat quod penitentia. Ergo penitentia recogitationem et resipiscentiam supponat cum igitur facta priora recogitamus et recognita detestamur, resipiscimusque in futura quilibet penitemus. Id praeallegata illa sacra vox penitemini, prehendite recogitate priora, resipiscite a prioribus operibus malis. Et pour ce vous povez entendre que cest penitence et que cest faire penitence. Quand au second vous sçaves comentz i a septz sacrementz de leglise, entre lesquelz est adnombré le sacrement de penitence, qui est tres necessaire pour le salut de pecheurs volens retourner a dieu. Nam si quis peccaverit post regenerationem et baptistum et maculavit candidam regenerationis tunicam in sanguine Christi lotam atque abstergam candidiorem factam vestimentis fullonum neque liceret | per ablutionis lavacrum iterum renovari indubitanter (fol. 14, v.) relictus est penitentiae. Et me semble saulve le jugement de gens sçavant au quel je me refer du tout que ce est la cause por quoy je ne lay trouve par escript expressement, toutesfoys ce lay aucunement colligé de 6 c. aux Hebrieux de St Paul la ou il reprend les Judez qui post perpetrata delicta faciebant iterum fundamentum baptismatis docebantque iterandam penitentiam in multitudine baptismatum: quod omnino prophet:-bus apostolus novis impossibile est (inquit) eos qui semel illuminati sunt qui semel batizati sunt et celeste donum gustaverunt qui justificationem a peccatis acceperunt participes Spiritus Sancti facti sunt qui Spiritum Christi vivere coeperunt, gustaverunt bonum dei verbum qui evangelio Christi pasti sunt et prolapsi sunt rursus renovari ad penitentiam sed per iteratum baptisma. Et quia amplius licebat per baptismum relictus fuit penitentiae locus. Ecce ergo qualiter penitentia | instituta fuit ad (fol. 15, r.) omnium salutem ut si quis vestem innocentiam post baptismum peccando corrumperit, per penitentiam recuperare potest. In penitentia autem tria sunt necessaria, contritio, oris confessio et satisfactio. Nam sicut tribus modis deum offendimus, ita totidem eum placare possumus. Offendimus enim quotidie cogitatione prava, loquutione iniqua et operatione perversa. Contra cogitationem pravam vera cordis contritio, con-

tra loquutionem iniquam pura confessio, contra perversam operationem congrua satisfactio. Ac primum quidem de cordis contritione dicamus quae est praecipuum penitentiae fundamentum sine quo nihil penitus prosunt confessio et satisfactio cum tamen contritio sine confessione et satisfactione sufficiat ad salutem in casu videlicet necessitatis ut plane probant jura-canonica dist. de penitentia. Est autem contritio verus pavor seu terror conscientiae quae sentit deum irasci peccato et dolet de peccatis. Ceste diffinition est prouvee par plusieurs lieux, premierement (fol. 15, v.) psal. 6 Miserere mei domine quia infirmus sum, Sana me domine quia conturbata sunt | ossa mea et anima mea turbata est valde et 2. ad Cor.: contristati estis ad penitentiam ex qua deffinitione datur intelligi qui nam sunt contritionis effectus nempe veri illi pavores et terrores conscientiarum ex cognitione peccatorum suborti quales hi fere sunt. Agnoscere corde peccata illa ex animo damnare et detestari, dolere et ingemiscere de peccatis agnitis ex corde cum proposito mutandi vitam melius ac foris dolorem bonis operibus externis testari et hi sunt contritionis effectus. Sed necessaria est etiam ad veram contritionem fides qua liberantur conscientiae ex pavore ne disperent magnitudine ex copia peccatorum territae. De quibus singulis dicamus oportet igitur primum omnia peccata agnoscere nam si aegrotus vulnera tegit quo illis adhibebitur a medico medicina ut aliis diximus locis vobis Et pour ce le prophete Hiere. chapitre 2-3 et 4 acerrime ad cognitionem peccati nos hortatur. car au second chapitre Judeos peccatum suum non cognoscentes reprehendit (fol. 16, r.) inquirens Quid dicis non sum polluta post | Baalim non ambulavi. Vide vias suas in convalle, scito quid feceris. Comment dis tu je ne suis point pollute, je ne suis point allee apres Baalim. Regarde les voies en la vallee, et congnois quelle chose tu as fait. et paulo post Ecce ego judicio contendam tecum eo quod dixeris, non peccavi. Voicy je procederay contre toy en jugeement de ce que tu as dit je nay point peche. Item au chapitre troisieme dit le Seigneur par le prophete Revertere aversatrix Israel et non avertam faciem meam a vobis, quia sanctus ego sum et non irascar in perpetuum. Veruntamen scito iniquitatem tuam quia in dominum deum prevaricata es etc... Retourne toi Israel la rebelle, dit le Seigneur et je ne detourneray poinct ma face de vous, et ne me courrouceray poinct a toujours. Toutesfois cognoy ton iniquite car tu as transgresse contre Seigneur ton dieu etc... Agnoscamus igitur peccata nostra. Nam si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus et veritas in nobis non est. Omnes enim declinaverunt etc... deinde (fol. 16, v.) oportet | ingemiscere et dolere propter peccata. Sic david objurgatus a

Nathan et perterrefactus quod Uriam occidisset et uxorem ejus in uxorem duxisset. proposita illi parabola pauperis et divitis ut scribitur 2. Reg. 12 de peccatis dolet dicitque ex dolore peccavi domino, forisque illum dolorem demonstrare. In Magdalena facit Lucae septimo quae corde dolet de peccatis et foris ostendit illum dolorem cordis lachrimis et charitatis operibus erga Christum. Diximus quoque in contritione fidem necessariam qua nos ex timore liberentur conscientiae nostrae. Nam fides facit nos sperare atque e peccatis resurgere. Sublata enim fide non habent conscientiae quo erigant se ex contritione deinde peccata contritione deplorata et detestata non possunt remitti sine fide. Sainct Paul dict que impossibile est placare deo sine fide. Habebat ergo contritio comitem sibi fidem quae penitentiam vera contritione peccatis mortuum vivificet. Sic David postquam propheta eum absolvit inquiens dominus sustulit peccatum tuum non morieris fide sustentatus et vivificatus fuit. Et en ayant | ceste vraye contrition avec foy, summa cum fiducia (fol. 17, r.) adeamus ad thronum gratiae ut misericordiam accipiamus et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. comme dict Sainct Paul Ad hebr. 4. allons donc avec fiance au throne de sa grace affin que nous obtenions misericorde, et que nous trouvions grace en ayde convenable, et domino confiteamur juxte le prophete Confitemini domino quoniam bonus quoniam in seculum misericordia ejus. Et ad hanc confessionem hortatur Hieremias in locis praeallegatis. Huc pertinet psalmus 31: Delictum meum cognitum tibi feci etc... dixi confitebor etc... Item monseigneur St Jehan en ces epistres canoniques si confiteamur peccata fidelis est Deus ut remittat nobis peccata nostra. Nunc sequitur de oris confessione quam auricularem vocant. Et quod sit haec necessaria ad hominum salutem facile ex sequentibus patebit. primum igitur videamus an juris sit divini, divini illius usum quid sit, qualis debeat et effectum illius. Et quamvis sit magna inter neoteoricos de hujus modi confessione sacramentali quam auricularem vocant | digladiatio diversique diversa (fol. 17, v.) effutiant multi in praxis ecclesiae illam interpretari videbitur illamque ex jure divino facile colligi posse. Primum facit | fidem quod scribit Jacobus cap. 5. Si quis inquiens, ex vobis infirmatur, inducat presbyterios ecclesiae qui orent super eum, et continuo subjicit Confitemini ergo alterutrum peccata vestra et orate pro invicem ut salvemini quasi is qui infirmus erat inductis sacerdotibus si in peccato erat confessionem fecisset. Istud probatur eccl. 4. Non confundaris peccata tua et ne subjicias te criminibus hominum pro peccato. qui donc aux ministres de leglise qui jureront sur luy et te donneront conseil comment si après

nous nous pourrons garder. Quidam eam confirmavit ex aucthoritate Matthei cap. 8. ubi jubet leproso curato dominus ostendere se sacerdoti pro cujus intellectu praesupposito quod quaemadmodum in Levitico legitur jusserat Moyses, ut leprosus mundatus a lepra torta pannis aut duos turtures aut sextarium olei offert pro gratiarum actione beneficii sibi impensi et pro manifestatione purgationis suae juxta ergo hunc ritum mittit dominus leprosum ad sacerdotes. Hieronimus id multis de causis factum existimat primo ne legem videatur infringere, 2° ex humili-
(fol. 18, r.) tate ut sacerdotibus | videatur deferre. Aliam autem praenominati rationem reddivit nempe figuram futuri quasi dicerent misit leprosum ad sacerdotem ad figurandum quod Christianus quantius sit per veram contritionem a lepra animae seu peccato mundatus, tenetur tamen congruo tempore (si adsit facultas juxta mandatum ecclesiae) se sacerdoti novae legis ostendere aperiendo ei cor suum per veram confessionem. Hoc etiam voluisse Christum apertius videtur ex resurrectione Lazari quadriduarii quem, non sat fuit, ad vitam revocasse nisi et ad apostolos diceret Christus, solvite eum et sinite abire; ex quo Christus facto judicavit quid faciendum infirmis a mole peccatorum ligatis conscientiis. Accedit his usus primitivae ecclesiae et exemplum quod Actorum 19. legimus Cum spiritus ne quam insiliisset in filios Scevae principis sacerdotum ob peccata sua, ingens timor invasit omnes, adeo ut multi credentium venirent ad Paulum et alios apostolos confidentes et annunciantes actus suos. Hanc etiam confessionem multis figuris olim spiritus sanctus praedixit ut potest ex multis locis Veteris Legis inter quos hunc
(fol. 18, v.) unum subjicia | qui scribitur Levitici 5. ubi dicitur Anima peccaverit per ignorantiam ex his quae lege prohibentur et peccati rea intellexerit iniquitatem, offerret arietem sacerdoti juxta mensuram aestimationemque peccati, qui orabit pro eo et dimmitetur ei. Qui locus adeo visus est Cyrillo pro confessione facere ut etiam affirmet cujus vis quam deligenda id quod et Christi verbis judicatur, quorum remiseritis peccata remittuntur eis et quorum retinueritis retenta sunt. Nam cum hi quibus loquebatur Christus homines essent nempe apostoli et eorum successores solique deo patri corda hominum necessarium fuit infirmis conscientiis aperire morbum et retegere vulnus. Nunc de usu ejus confessionis dicamus. Est enim usus dictae confessionis valde necessarius. Nam homo peccatis oneratus plerumque seipsum solari non potest vel quia in verbo non ita bene doctus, vel quia graviora sunt certamina conscientiae quae ut possit haec se ex illis explicare (quae est fortassis causa cur ab ecclesia sit
(fol. 19, r.) instituta). igitur omnibus modis utilis et necessaria est | haec confessio ut

per illam a sacerdotibus instituantur conscientiae et discant ubi quaerere debeant solatia ut remissionem peccatorum accipiant. Est autem confessio auricularis legitima peccatorum coram sacerdote declaratio in qua haerentes conscientiae peccatisque oneratae quaerunt per verbum explicationem institutionem solatia et certam rationem proveniendi ad remissionem peccatorum quam credentes accipiunt propter absolutionem et potestatem clavium. Sequi enim remissionem peccatorum in hac confessione propter absolutionem et potestatem clavium docent hi loci Qui vos audit me audit. Itaque cuicumque remiseritis peccata illis remissa sunt sed qualis debet esse hujusmodi confessio pro injuribus dicamus. Sit ergo humilis, voluntaria, praemeditata, integra, accusatoria, verecunda, vera et spei plena. Humilis quidem ut penitens agnoscat se miserrimum peccatorem et venia indignum ut cum reverentia et tremore quasi coram Christo peccata sua exponat. Voluntaria, spontanea et non coacta: omnis namque Christianus voluntarie non ex consuetudine, timore aut verecundia humana confitens debet, alioqui deo accepta non esset. Praemeditata: homo namque priusquam | sacerdoti se praesentet seipsum explorare et examinare debet et apud se diligenter perpendere quid et in quibus peccavit et quid sacerdoti dicturus est. Integra: non enim aliquod peccatum retinendum est cum deus dimidiatam confessionem non recipiat nec dimidiatam veniam dat. Accusatoria: debet enim peccator seipsum accusare peccata sua exponendo nec sibi parcere debet, neque cuique culpam ascribere sed omnem in se transferre debet culpam. Sicut enim repellit deus peccata sua defendentem ita recipit confitentem. Verecunda: cum pudore enim et verecundia explicare debet sicut turpitudinem animae suae erubescat quae quidem erubescentia magna poena est et ideo qui pro Christus erubescit dignus est misericordia. Huc pertinet quod dicit Bernardus, Ideo jubemur confiteri peccata ut erubescentiam habeamus pro poena. Vera: nihil enim falsi in confessione debet homo inserrere. Spei plena: quia confitens in ea spe esse debet se posse a deo veniam consequi quantum cumque peccaverit ut supra etiam docuimus. Ex usu et deffinitione confessionis colligi possunt effectus confessionis nempe instituti | melius imperitas conscientias de doctrina christiana solatium accipere ex hujusmodi institutione, lucrari, lapsum reconciliare illum ecclesiae admonere et deterrere illum a facilitate labendi. Nunc de satisfactione. ad complementum poenitentiae requiritur satisfactio. Est autem satisfactio, teste Augustino, causas peccatorum excidere et eorum suggestionibus aditum non indulgere. Causae peccatorum sunt occasiones allicientes ad peccandum. Optimus itaque satisfaciendis modus erit si

(fol. 19, v.)

(fol. 20, r.)

Et postquam consumati sunt dies octo quando advenit dies nativitatis octavus, ut circumderetur puer. Hoc tempus erat determinatum circumcisioni secundum ritum veteris legis. Lev. 12. die octavo circumcidetur infantulus Gen. 17. Infans octo dierum circumcidetur. Nunc opere pretium est nobis scire pro junioribus unde sumpsit exordium et quae sit causa ejus deinde quae sit hujus festivitatis in qua dominus est circumcisus nos aperiemus. Circumcisio igitur est dictio in litteris sacris frequentissima pro praeputii amputatione. A verbo circumcidere. porro praeputium est pellicula illa quae glandem tegit. a-praeputio Judeus dictus quia illam Judei amputabant, quod retinebant gentiles praeputium dicebantur uti videre est crebro apud Paulum. Cujus quidem circumcisionis ritus ab Abrahamo exordium sumpsit quando et nominis amplificationem accepit ut habetur Gen. 17. ubi dicitur: dixit deus ad Abraham hoc est pactum quod observabitis inter me et vos et semen tuum post te, circumcidetur ex vobis omne masculum et circumcidetis carnem praeputii vestri ut sit signum foederis inter me et vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Masculus cujus praeputii caro circumcisa non fuerit delebitur anima illa de populo suo quia pactum meum irritum fecit. Causa autem circumcisionis est ut per obedientiam mandati Abrahae placeret deo, cui per praevaricationem Adam displicuerat, vel data fuit in signum fidei Abrahae, qui credidit se habiturum filium in quo | (fol. 33, r.) fieret benedictio omnium. Juxta illud Pauli Rom. 4. Et signum accepit circumcisionis signaculum justitiae fidei quae est in praeputio, tamen ut hoc signo a exteris nationibus discerneretur populus Hebreus. Magister sententiarum Lib. 4. dist. la. Cum igitur ex semine Abrahae descensurus esset dominus noster, aequum fuit aliorum more circumcidi, alioqui repudiata fuisset ejus tamen alienigena doctrina neque quisquam credidisset ipsum esse Christus ex semine Abrahae expectandum. Omnes enim qui ab eo descendebant signum habebant circumcisionis. Unde vocatur hic dies circumcisionis? Quia hac die octavo a nativitate est circumcisus est dominus. Postquam consumati sunt dies ut circumcideretur puer, puer inquam, qui natus est nobis. In hac circumcisione domini, fratres, habemus quod amemus et admiremur et quod imitemur. Habemus hic magnum fidei documentum et manifestum humilitatis exemplum. Ad quid enim ibi circumcisio neccessaria erat (inquit Bernardus) qui peccatum non fecit nec contraxit quid enim circumcisio est nisi superfluitatis et peccati judicium. In te domine Jesu, quid superfluum quod circumdatur. Etsi autem non eguit voluit tamen circumcidi et quasi quodam cauterio latronus infligi. Itaque hodie, pro totius corporis

putredine cauterum quodam infixum est in capite. Cujus non admiretur domini in nos amoris abyssum? Admirabamur mutationis sacramentum die nativitatis celebratum quando verbum caro factum, nunc mirabilius aliquid audio. Illa die minoratus ab angelis et habitu inventus ut homo jam multo minoratus ab angelis qui non solum formam hominis sed peccatoris formam sumpsit. Agnus sine macula circumcidetur propterea vulnera nostra. Glosae ordinariae plures enumerant causas cur dominus voluit circumcidi quas vide nunc discendum quid in hac circumcisione induetur spiritualiter nobis agendum. Sicut enim puer circumcisus est, ita et nos circumcidi oportet non circumcisione carnis sed spiritus. Non (fol. 33, v.) enim qui | in manifesto Judeus est. Ro. 2. Curemus circumcisionis spiritualis et renovationis subire remedia, carnalis mortifera est ut supra videtur? Circumcidemur non uno membro sed toto corpore. A planta enim pedis ad ventrem usque non est in nobis sanitas. Bernard a ung long sermon de la circoncision nous enseigne que nam sit moralis circumcisio nostra illa nimirum quam commendat apostolus habentes victum et vestitum his contracti suis optime prorsus circumcidit nos et superflua resecat universa voluntaria paupertas, poenitentiae labor et regularis observatio disciplinae. Christus igitur octavo circumcisus est die. Sed cur ita cum circumcisioni finem impositurus esset diximus rationem ne legis transgressor videretur atque ita rejiceretur. Praefiguranda autem hebreorum circumcisio christianorum baptisma. In quo notandum quod circumcisio illa idem conferebat remedium contra peccatum quod nunc baptismus praestet. circa quod magister de cons. dist. 4. etc... Unde Beda idem salutiferae curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat quod baptismus agere confirmavit tempore revelatae gratiae excepto quod regni coelestis januam nondum intrare poterant. Sed de baptismo. baptismus graeca vox est secundum unctionem seu lotionem. Inde quod ad propositum pro lavacro regenerationis.

Vocatum est nomen dominus Jesus. Quemadmodum apud nos sacerdotes nomen imponant quando baptizant? Ita apud Hebreos in circumcisione fieri vocatum est autem nomen ejus Jesus. Magnum et mirabile sacramentum circumciditur puer et vocatur Jesus. Quid sibi vult ista connexio circumcisio nempe salvandi magisque salvatoris esse videtur (ait Ber.) Sed agnosce mediatorem dei et hominum qui ab ipso revelationis suae primordio, divinis humana sociat, imo salvavit. Parvulus qui nascitur et deus est mulier enim de qua nascitur et virgo est; pannis involuitur sed panni angeliscis laudibus honorantur. Absconditur in

praesepio sed proditur radiante stella de coelo. Sic et circumcisio veritatem probat susceptae humanitatis et nomen quod est super omne nomen gloriam indicat majestatis. Circumcidetur tanquam verus Abrahae filius Jesus vocatur tanquam filius dei. Vocatum ergo est non impositum quia a deo fuit impositum ab aeterno sed per angelum Mariae et Joseph revelatum et per eos aliis divulgatum. Jesus Servator | ipse enim salvum (fol. 34, r.) faciet populum suum a peccatis eorum Matt. 1°. qui propitiatur omnibus iniquitatibus nostris qui sanat omnes infirmitates tuas. psalm. 102. Neque aliud nomen est in quo oporteat (quod vocatum est priusquam in utero) Attendo Verbi profunditatem. Postquam natus est Jesus, vocatur Jesus ab hominibus qui ab angelo vocatus est priusquam in utero qui missus fuit ad virginem ut Luc 1. De quo nomine dicitur Bernardus quia est mel in ore, mellus in aure, jubilis in corde. Ergo dictus est Jesus non fortuite aut humana voluntate sed auctoritate divina ut vel ex ipso vocabulo homines admonerentur hunc qui veram salutem conferrent omnibus, quam si hodie consequi volumus ad Christi imitationem nos circumcidi necesse est, ac denuo renasci in gratia ut in novitate vitae ambulemur et exhibemus membra nostra servire injustitiam ad iniquitatem, ita exhibemus membra servire justitiam in sanctificationem ut ad perfectae illius et summae circumcisionis premia pertingere valeamus, cum in die judicii cunctis animae et corporis corruptibilitatis exempti mox exacto judicio ad videndam perpetuo creatoris faciem aulam celestis regni ingredimur, ad quam perducat qui nobis natus et circumcisus prime in nomine sancto suo quod est Jesus. Amen.

| Martialis proximiis versus mittens ait: (fol. 34, v.)

Omnis in hoc gracili Xeniorum turba libello
constabit nummis quatuor empta tibi.
Quatuor est nimium? poterit constare duobus,
et faciet lucrum bibliopola Tryphon.
Haec licet hospitibus pro munere disticha mittas,
si tibi tam rarus mihi nummus erit.

Pro xeniis. Je vous demande ce que St Paul aux Romains c. 15 Obsecro fratres per Dominum nostrum Iesum Christum et per charitatem S. Spiritus ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad deum. Non auram posco nec mihi pretium dederitis. Precatio ut contingat meis plenissimam divinae voluntatis cognitionem ut fructus bonos portemus. Ego vero hoc xenioli loco vobis datum iri cupio quod Paulus colossensibus precatur orans et postulans cum Paulo ut impleamini (ut noscamus quae desunt) agnitione voluntatis ejus in omni sapientia et intellectu

spirituali et prudentia faciendo talis adversionis vita digna vivamus ut ambuletis digne deo per omnia placentes in omni opere bono sanctificantes et crescentes in scientia dei (semper de deo cogitandum).
Thema — Puer natus est nobis etc... Esa . Qui olim prophetarum oraculus promissus Messias diu expectatus fuit. Is omnibus nobis natus est nempe ut salvet nos, propter quod dilectissimi cum matre ecclesia tam magnum dominicae nativitatis sacramentum dignis vocibus honoremus. Enixa est puerpera quam habuit praedixerat. Gaudeamus etc... Lux orta justo et recto corde laetitia. Nunc vero postquam de nativitate dominica pauca admodum eaque indigna pro modulo. Filus orationis (fol. 35, r.) nostrae circa puerum natum | texendus est nimium quis sit debitus modus ritus circa natum adhibitur, cum secundum legem circumcidi deinde templo offeri deberet.
De circumcisione igitur dicendum dominica, dont parle d'évangile du jourdhuy. Et affin que puissions implorerer la grace du St esperit par intercession.

In die Epiphaniae

Puer natus est. Proxime redemptionis nostrae sacramentum celebravimus, quo Deus nominem cum infirmitatibus induit. Hodie vero illud colimus quo se hominem virtutibus declaravit pro eo quod ortus sui nuntium stella praebuit. Nobis itaque ex virgine natus est quod hodie stella monstravit. Proinde ecclesia dei hunc diem epiphaniam domini nuncupatum adnua celebritate sacravit quia eo proditus est stella salvator, quando Magi Christum in praesepi jacentem adoraverunt offerentes ei competentia munera trinitatis aurum, thus myrrham idque ut mundus agnoscat mundum quem elementa celitus prodiderunt cujus diei nomen ex eo quod apparuit gentibus et Magis, qui primitiae gentium sunt, Epiphania nuncupatur quod manifestatio sive apparitio dicitur. Sunt etiam aliae causae cur hic dies hoc nomen sumpserit, nempe quod eodem die in Jordanis undis aquas ad reparationem humani generis sub baptismo consecravit suoque populis fuit ostensus vel quod in Channa Galilee in convivio nuptiali aquam in vinum convertit ubi fuit multis manifestatus. Sed cum ecclesia hujus diei solemnitatem epiphaniae et apparitioni Magorum magis deputet in quo ad partum virginis adorandum Magi hodie 13 die a nativitate ab oriente venerunt, de ea inpraesentiarum tantum futurus est primo prout fusius in evangelio hodierno continentur,

quod nobis | ostendit quemadmodum servator juxta prophetarum ora- (fol. 35, v.) cula natus, gentibus sit agnitus voluitque enim omnibus esse prospicuus qui venerat servandis omnibus ut et bonis innotesceret ad salutem et impiis adjuveret omnem ignorantiae causam sumptum est evangelium hodiernum ex Matth. c. 2. Ad cujus enucleationem subsidium gratiae divinae implorandum est salutatione consueta. Namque ostendit quemadmodum servator juxta prophetarum oracula in Bethleem natus est gentibus sit agnitus.

Et cum natus esset. Matth. 2. Nato igitur Jesu in Bethleem Judae ut impleatur prophetia Michee 5. Et tu Bethleem ut infra dicitur prout Lucas fusius refert cap. 2. ubi nativitatem, locum, tempus nomenque pueri nati narrata sunt. Audivimus in die nativitatis domini. Atque hoc idem Mattheus hic compendiosus recenset dicens cum natus esset Jesus in Bethleem Judae, quod dicitur ad differentiam alteri quod est in tribu Zabulon. Josue 9.

In diebus Herodis. In quo notatur tempus Messiae tunc advenisse juxta oraculum Jacob qui Gene. 49 praedixit Non aufertur sceptrum de tribu Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium. Ideoque oportuit Christum Messiam nasci, cum sceptrum de Juda esset oblatum regnante Herode qui prius ex alienigenis sceptrum obtinuerit. Atque hic Herodes dictus est Ascalonita natione Idumeus cujus filius Herodes Antipas occidit Johannem et Christum illusit Luc 13. fuit et alter Herodes Agrippa qui Jacobum occidit Act. 12. Ecce Magi venerunt Hierosolymam dicentes. Qui Magi fovent variis sentitur, consentitur ab omnibus sapientes dici. Magos enim Persae vocabant philosophiae suscipiendos professione, quemadmodum suos scribas Graeci philosophos, Latini sapientes seu doctores nominant. Non igitur dicti sunt Magi a magica arte quia malefici aut illusores sed a magnitudine scientiae ideoque et reges dicti sunt Psal. 71 Reges Tharsis et insulae munera offerent. Aureo enim illo saeculo per sapientiam non potentiam gubernabant; nunc per potentiam | et stultitiam. Quot fuerint (fol. 36, r.) numero non constat, multo minus de nominibus. Aiunt quidam fuisse tres: fuisse Gasparem, Melchiorem et Bathazar, venerunt e Persica, Caldea, Arabia. Sabei isti cum muneribus adorare natum Messiam venerunt ab oriente a perside quae in plaga est orientali respectu Judeorum. Videte unde dies nascitur inde initium fidei processit. Venerunt Hierosolymam quod illic agebant scribae et pharisei in lege et prophetiis eruditi, vel quod intellexerunt enim haud procul ab Hierusalem nasciturus et sunt Hierosolymitae non latere quod ipsi tam insolito

in oriente judicio cognovissent. Sed nusquam serius ac difficilius innotescit Christus quod in urbibus opulentis, in aulis principalibus et apud sapientiae professione turgidos. Venerunt Hiorosolymam, non recta Bethleem, ut pudefacerent Judeos qui e proximo contemnebant factum mirabile vel ut excitata urbs anxie quaereret et fabularetur de verbo facto utque adjuvaretur omnis excusatio, nescimus Christum imo post pastores Judeo Magi gentes abunde nobis omnia nuntiarent. Tum etiam hoc ostendit deus e longinquo vocandas esse gentes juxta prosam hodiernam per omnipotentis adventum, atque vocationem gentium. Atque hunc ingressum Magorum in urbem de vocatione gentium et Judeorum rejectione inventari possumus, Ro. 15. dicentes ubi est qui natus est rex Judeorum. O mirabilis fides Magorum et admirabilior fiducia quam secura est interrogatio. Nam Haec dicentes nihil prorsus dubitare videbantur neque Christum natum neque Herodis aut Cesaris formidare potentiam. Praeceptum erat ne quis vivente rege alius proinclinaretur aut adoretur. Tamen simplice et libere fiduciam mentis ostendunt neque Cesaris formidant potentiam. Et hi professi sunt Christum esse verum hominem, verum regem et verum deum verbo opere et muneribus. Verbo quis ubi qui natus in humanitate fatentur rex judeo regiam potestate et venimus adorare, divinitatem declaravit.

(fol. 36, v.) | Vidimus enim stellam. Consilio dei admoniti sunt Judei per angelos, gentes per stellam Christum natum esse. Et haec stella nativitatis dominicae nuntiae non ante apparuerat, sed tunc creata fuit atque celeste signum ante per Balaam propheta, tum supra numeri 24. Orietur stella ex Jacob. Hi vero Magi qui secundum Hieronimum Balaam successores fuerunt, stellam in ortu domini de semine Jacob nati apparituram credebant cujus ortum observabant, quae illustrior ceteris simul cum mentis illustratione thuris ducatum praestitit.

Allegoria. Stella est illuminatio fidei quae ad Christum ducit. Et venimus adorare personatum iter peregrimus. Non sufficiebat pernuntiis nec peragi ipsi non debitum cultum regi impendere voluerunt cultu latriae quae soli deo debetur. Es. 42. Ego dominus hoc et nomen meum gloriam meam alteri non dabo. Hunc titulum Judei semper reperuerunt. Nam dominum de ce Luc. 23. Hunc invenimus dicentem dominum se regem esse e contra gentes honoratur ut hic dare potest in Magis. Ubi vero Magi hierosolymis appropinquassent, amplius eam non viderunt quod factum est ut interrogare cogerentur manifestum quod fieret Judeis natum esse Christum et Judei inexcusabiles forent.

Allegoria. Magi dum ad Judeos ducantur stellam amittatur quod dum a

malis consilium petant veram illuminationem perducit. Audiens autem. audito nomine regis Judeorum nati turbatus est Herodes et omnis Hierosolymis cum illo, ut per prophetam pronuntiatum quia fremuerunt gentes. Ps. 2. Herodes conturbatus in animo et cum esset alienigena et ambitiosus suo privaretur regno factus sonitus terroris semper in auribus impii et cum pax sit semper insidias suspicatur. Chrisostomus. Sicut ramus arboris in excelso positae etiam si ventus flaverit movet sic sublimes homines levis nuntii fama perturbat. De turbato rege et voto quis fuerit et quid timuerit per apostropham ad hujus tyranidem Hostis herodes impie venire. | Ecclesia hodie de tribus apparitionibus facit (fol. 37, r.) solemnitatem quatenus de ea quae gentibus facta est praecipue agatur. Si dum fuit facta eadem die Anno 29 revoluto tamen in Jordanie apparuit et vocatur Theophania. 3° Miraculum fuit factum et manifestavit se dominus per mutationem aquae in vinum in Cana Galileae. | Post (fol. 37, v.) explicatum evangelium in fine ad aedificationem populi sumendam, Magis pietatis exemplum. Magi Ethnici fuerunt quemadmodum et nos se illi relictis omnibus bonis, summo boni adheserunt lucemque aeternam stella praevia quae sincere contemnamus et nos hujus mundi vana et verbum domini quod vera lucerna est sequimini et sicut magi regem gloriae inveniemus. Solymis Christum libere confessi sunt inde et nos faciamus liberalissime se et omnia in dei cultum expenderunt ut Christum invenirent, et invenierunt. Sic et nos suspitemus Christi paupertatem sequentes. Deinde per aliam viam reversi sunt unde admonerentur ne porro ambulandi in ethicorum concupiscentiis et tenebris, sed ut filii lucis omnia agamus unde Hilarius, in hunc locum admonemur prioris vitae itinere abstinere.

Epiphania, apparitio sive manifestatio domini. In nocte imo in die natalis domini pastoribus lux magna apparuit, hic sol justitiae principibus gentium est visus. Accidit ad hunc diem sacrum alia apparitio nempe ea quae facta tunc cum Christus a Johanne baptizaretur ubi vocem auderit Hic est filius. Tertia apparitio de qua dicitur Joh. 2. Manifestavit gloriam suam et crediderunt in eum discipuli ejus. | Herodes autem de suo regno timens jure turbatus est. Sed mirum natus esset (fol. 38, r.) cur civitatis turbata sit. Atqui gaudere ipsum magis oportuit quod ipsis rex natus esset quem olim prophetiae redemptorem Israël pronuntiaverant. Verum turbati sunt et provocavit eos invidia quasi timentes ne forte salutem consequerentur vel cives turbabantur ne concitarentur bella ab herode adversus regem natum ejusque fautorem, proprie vitae rebusque suis timebant vel adularentur regi tyrannico conformatus se

domino suo. Eccli. 10. Secundum in domino populi sic et ministri ejus. Qualis rector civitatis, tales habitantes in ea. Exclusus penuria ipsis cetera persequi datum non fuit. Sequitur de munere honorario Magorum. In tribus trinitas significari potuit scilicet homo, rex et deus. Item matris paupertas pueri teneritudo et stabuli feditas. Item dilectio, oratio, carnis mortificatio. Et haec munera deo semper offere debemus aurum charitatem fervidam, thus devotam orationem et myrrham corpus mortificatum per opera presentia cui Christi sunt carnem suam, etc... Parenesis hujus Evangelii Magi docent nos vitam christianam et opera bona habuerunt christianam sanamque fidem excelsum Christum hominem et deum id quod perversitas eorum arguit haec. Nunc accipe opera. Non contenti sunt fide domi desidentes, civitatem curantes, sed relictis uxoribus, liberis semel viae tam longinquae quam periculosae dederunt quaerentes Christum. Duo vero egregie bona opera fecerunt orantes et donantes. Adorant in despecto tugurio, non in aulis principium. Hic discamus non orare modo sed etiam dare, illi aperiunt thesauros, in tuos aperi, explica massupium. Multa hic de oratione et eleemosynis dici putetis. Reliqua in Evangelio metidandae relinquo. Ergo Epiphania gratiae salutiferae, quae hodie apparuit erudiat nos ut abnegantis secula-
(fol. 38, v.) ria desiderata sobrie juste et pie vivimus etc... | In fide et operibus inveniamur, ut sicut Magi ab Herode reversi sunt per aliam viam in regionem suam sic et nos cum ab Herode mundi et demonis cultu per fidem et opera bona ad Christum accessimus per aliam viam quam sit via impiorum in qua ambulavimus olim revertamur in regionem nostram in societate electorum dei seu paradisum celestem, ad quod nos perducat qui puer nobis natus et filius datus est dominus noster Jesus Christus.

Ex Bernardi Sermone In Epiphania

Festivis et maxime in praecipuis solemnitatibus circa ea quae solemnitates sunt immorandum dicitur ut pariter erudiatur animus et exaltatur affectus. Quomodo enim celebrabimus quod nescimus nisi annuntietur nobis. Solemnitas igitur hodiernae diei ab apparitione nomen accepit: Epiphania enim dicitur apparitio. Hodie ergo apparitio domini celebratur non tantum una sed trina, sicut a patribus accepimus. Hodie enim parvulus rex noster paucis a nativitate transactis diebus stella declarante primitiis gentium apparuit. Hodie quoque cum jam triginta ferme egisset ad nos in carne populares turbas absconditus ad Jordanem baptizandus

advenit sed testimonium patris innotuit. Hodie cum discipulis vocatus ad nuptias deficiente vino signo mirabili suae potestatis aquas in vinum concessit. Sed specialius hodie celebratur apparitio in infantia salvatoris facta, quae dulcissima est.
Magi ab Oriente. Merito ab oriente qui solis et justitiae novum nobis ortum adnuntiant est qui laetis rumoribus totum modum illuminant, de quo sole legitur Zacha. 6. Ecce vir oriens nomen illi. Turbatur Hierosolima civitas dei quae visio dicitur pacis et mirum. Videte fratres, quantum noceat iniqua potestas quomodo caput imperium subjectos quoque suae confirmat impietati. Misera civitas in qua regnat Herodes, quoniam Herodianae erit particeps impietatis.
| Ecce stella quam viderant. Hinc manifeste datur intelligi quoniam (fol. 39, r.) humanum flagitantes consilium divinum amisere ducatum. De munere Magorum. Offerentes aurum thus et myrrham verum spiritualis oblationis genus insinuant. Aurum inter divitias dicitur excellere, quod nos Salvatori offerimus cum pro ejus nomine relinquimus ex integro substantiam hujus mundi. Jam necesse est ut qui terrena relinquimus, flagranti desiderio celestia requirendum. Sic enim offerimus thuris adoramentum quo significantur orationes sanctores. Unde Psal. 64. Dirigatur oratio sicut incensum. Item oratio justi penetrat celos oratio iniqua non cujuslibet sed justi. Nam qui avertit aurem suam ne audiat legem oratio ejus erit execrabilis. Item necesse est ut myrrham offeramus id quod fiet si castiges carnem tuam. Luc. 9. Qui vult venire post me. Gal. 5. Qui Christi sunt. Ita erit oblatio nostra accepta a deo. Christus apparet puer cum matre ut simplicitatem et verecundiam ante omnia quaerundas nobis esse doceat. Nam pueris simplicitas naturalis inest et cognata virginibus verecundia. Omnibus ergo nobis nulla virtus magis necessaria quam simplicitas humilis et gravitas verecundia. Bernardus.
Et procidentes adoraverunt. Quod facitis o Magi? Quid facitis? lactantem puerum adoratis in lugurio vili, in vilibus pannis. Ergo ne deus est? Deus certe in loco sancto suo, deus in caelo sedes ejus et vos eum quaeritis in vili stabulo, in matris gremio. Quid facitis? Quod aurum offeritis? est ergo rex, est? ubi aula regia? ubi thronus? ubi regalis curiae frequentia? Num quid aula stabulum, thronus praesepium, curiae frequentia Maria et Joseph? Quomodo ita insipientes facti sunt sapientes ut adorent parvulum despicabilem? Sed praedocuit eos Sanctus quod postea dixit Paulus Cor. 3. Qui vult sapiens esse stultus fiat ut fieri sapiens qui enim per sapientiam mundi non potuit complacere. Obtulerunt | ei munera aurum thus et myrrham. Tria hujusmodi singuli (fol. 39, v.)

obtulerunt. primo quia Persa et Arabos his rebus abundant. Secundam rem oblationis munerum est mystica et spiritualis. Magi namque cognoverunt istum esse verum hominem regem. Tertiam aurum ut regi, myrrham ut mortali, thus ut deo. Regni sacerdotium et mors Christi tertia ratio ut supra diximus.

In dominica infra octavam Epiphaniae

Honorarium munus Magorum nuper audivimus ex quo docent quid deo offerre debeamus. Imprimis didicimus vitam religiosam et christianam dum eorum admirabilem sanam fidem per hipotyposim descripsimus neque fidem modo sed etiam bona opera. Neque enim contenti sunt fide credentes Christum hominem et deum (Id quod pro contrario eorum arguebat) domi desidentes civitatem curantes, sed relictis uxoribus, liberis, domibus, agris et semet viae tam longinquae quam periculosae dederunt, multo sudore ingenti sumpta quaerentes Christum et quem cum invenerunt, duo egregie bona opera fecerunt orantes et donantes ut discamus non solum orare (Amice) sed etiam donare. Illi aperuerunt, thesauros aperuerunt, in tuos aperi, explica marsupium, proice benigne, da de omnibus quae domi habes. Sed quid offerimus piissime Jesu? Quid habemus quod non accepperimus? Pauperes sumus, pauca dare possumus. Quomodo igitur fieri ut simus sectatores Magorum in tam bonis operibus? O homo audi (Bernardus) et da: Parvulus natus est nobis. Parvulus est igitur leviter placari potest quis nesciat quia puer facila donat? Ne igitur desperes pro minimo reconciliari potest. Totum quod dare possumus (ait Bernardus) est miserum corpus, hoc si dederimus satis est. Nam minus addant et corpus ejus illud enim de meo est et meum. Parvulus enim natus est Es. 9. O suavissima reconciliatio. O (fol. 40, r.) satisfactio | dulcissima. O vere facilis oblatio et parva sed utilis sed non parvimpendenda. Erit profecto gratum hujusmodi sacrificium accepta oblatio nostra in qua myrrham corporis nostri offeremus quae quidem oblatio necessaria est omnibus cenobiticae hujus vitae et monasticae institutum professuris. Abs te igitur postulo carissime fili qui in numerum fratrum nostrorum cooptari petis tibique necessarium fore denuntio si vere monachus fieri velis et cum auro substantiaque hujus saeculi cumque thuris adoramento orientis sanctis myrrham corporis tui deo offeras. Spretisque omnibus fortunis mundique ludibriis abneges temetipsum tollas crucem domini et sequaris eum. Qui Christi sunt carnem.

Gal. 5. Exhibeas corpus tuum sic mortificatum hostiam vivam et deo placentem. Ad quam mortificationem quae oblationem vera et sancta est vehementer exhortatur hodierna epistola Ro. 12. (Hic prece opus est) obsecro vos fratres, frères, je vous prie par la miséricorde qui vos a esté bayée de Dieu que vos exhibez vos corps non pas par estrange personne qui est contre ceulx qui appelant estre sauvéz par pénitence d'aultruy selon n. de Lyra hic. Obsecro vos. Apostolus utitur magis obsecrationis verbo quoque praecepti nam ut ait Seneca generosus est hominis animus facilius quam irrabatur. Per misericordiam dei a deo vobis datam. Ut exhibeatis. Offeratis non solum mentes sed etiam corpora. Tamen caro repugnet No. Nic. de Lyra septem conditiones quae carnis macerationem deo faciunt acceptam. Primo sit voluntaria quod notatur in exhi. 2° in carne propria (dum dicitur corporaliter) vestra non aliena. 3° concupiscentiae mortificativa (dum dicitur) hostia alioquin esset vana, fuerit medicina quae non curat morbum, bonorum operum productiva (dum dicitur) vivere. 5° Quod sit continua haud vitia carnis quotidie pullulant, adeo sanctam firmam. 6° Quod sit bene ordinata ad dei gloriam non propriam (dicitur deo placentem). | 7° Quod sit rationabilis et discreta (fol. 40, v.) ratio ob quod fit quando caro sic maceratur quod nam servatur et vitia excludantur non enim tam maceranda est ut corpus reddatur ineptem ad debita opera sed timendum non est nobis ac in parte sed potius in defectu quando caro inservire permittitur. Et nolite similes esse hominibus hujus saeculi hic instruit quantum ad animam. Huic seculo delectabilibus hujus saeculi. Sed reformamini. Non sufficit a malo abstinere nisi fiat quod bonum est. In novitate mentis (sensus) ad modum novi hominis cui non dominatur peccatum. Sicut per peccatum cognitio effuscatur ita per gratiam renovetur ideo subdite et probetis experiri possitis per Spiritum sanctum habitantem in vobis. Quid velit deus? bonum, bene et perfecte quia quidquid vult deus bonum est et beneplaceus iis qui intelligunt et experti sunt et perfecta in veritate et nihil sit melius.

Glosa ordinaria. Haec est autem voluntas dei sanctificatio vestra atque hic finis imponatur ob temporis penuriam. Cetera parte legito.

Obsecro. Potius obsecro dixit quam jubeo unde Philomeni scribes ait fiduciam multam hanc imperandi tibi propter charitatem magis obsecro. Hostiam. Ut corpora vestra sint hostiae per carnalium desideriorum mortificationem seu extirpationem juxta illud mortificate membra vestra. Col.: sanctam, carnalibus sordibus expurgatam. Ratio ob. V. Quod deo offertis in corporis vestri castigatione ne caro ultra vires maceretur

idcirco discretio summopere est necessaria quae est mater et fautrix virum (Hiere. 48.) quia fecit plus quam potuit idcirco periit.
Sed reformamini. Deponentes omnem malitiam quasimodo geniti infantes I Pe. 2. Neque confortamini. Subjicit nobis modum quo rationalem cultum perficere quamdiu nempe si non configuremur huic saeculo. Nihil enim his firmum sed omnia sunt temporaria. Ut probetis. Exponit adquid commodet ista mentis innovatio. Per rationabile obsequium. Jubet Paulus nos deum rationabiliter colere. Colimus autem sic cum orantes et adorantes corpora nostra vitiis mortua et justitiae dat. hostiam viventem, sanctam, puram, mundam et beneplacentem praesenta-
(fol. 41, r.) mus. | Illi se configurant huic saeculo qui voluptates hujus mundi querunt et mentem occupant in illis. Transformamur immo mentes nostras quando superatis carnalibus desideriis omni spirituali virtuti operam damus.
Erasmus. Hoc loco aliter exponit quod dicit Paulus si macciaveritis et immolaveritis deo corpora vestra corporeos affectus non jugulantes brutas ac mortuos peccudes quod antea factum est a Judeis ita demum exhibebitis illi victimam acceptam et rationabilem cultum non ut intelligas cultum moderatum moderatem corporis macerationem sed victimam vivam spiritualem et rationis compotem obsequium hic pro sacrificio sine cultu.

(fol. 41, v.) | Cum factus est Jesus annorum 12° Luc. 2.

Dominica Ia post Epiphaniam

Audivimus pueri nativitatem et circumcisionem octavo die in Bethleem factam, Epiphaniam seu apparitionem ejus magis factam audituri auxiliante deo paucis ab hinc diebus, post quadragesimum a nativitate diem domini praesentationem et oblationem in templo. Atque hactenus celestis ille princeps qui se nostra omnia usque ad fascias, cunas vagitus et imbecillam corporis infantiam dejecerat, alienae vocis testimonio praedicatus est. Coeterum paulatim accrescens aetas augebat corporis modum et vires, in quo relucebat indoles quaedam admirabilis (aliquid prae-est formis homine minus) augescebat et spiritus robur, sicut paulo ante dicitur. Puer autem crescebat et confortabatur Spiritu.
Cum autem factus esset annorum duodecim. Après que Marie et Joseph avec l'enfant furent retournéz d'égypte (du quel temps S. Luc n'en parle poinct) ubi commorati sunt usque ad mortem impii regis à Nazareth,

quo tempore poterat Dominus tunc esse annorum octo aut circiter, et qu'il eut esté avec eulx audict lieu de Nazareth environs cinq ans, depuis le quel retour et aage de huict ans ces parents alloient par chascun an è Hiérusalem. In die solemni Paschae qui die apud Judeos religiosissime colebatur, quo destinatus erat immolari suo tempore agnus. Ille omnis maculae nescius. Hic admoneantur parentes sui officii quos oportet prognatos statim ab ipsis incunnabulis arcere ab omni lascivia, sed sanctis moribus et sanctae pietatis assuefacere studiis dum adhuc tenera est aetas. Non egebat puer Jesus magisterio, sed omnibus liberis ostensa forma est. Porro cum natus esset annus 12 ac parentes ejus more adissent Hierosolymam ad diem paschae. Si peregrinabantur non voluptatis aut curiositatis, sed cultus dei gratia hoc erat. Perfectis et peractis paschae et aliis sex diebus, quibus rei divinae datur opera redierunt Maria et Joseph in turba Galileorum aut Nazarenorum ut se Nazareth reciperunt. Num quid eis acciderit audite. Nunc puer Jesus sapientiam suam manifestare incipit. Remansit puer Jesus in Hierusalem illis abeuntibus idque volens commisceri doctoribus. Jam tamen velut progestione ad patris sui mandata commonenda menda ob quae missus fuerat in mundum ut igitur mansit non absque multiplici causa. Ut suam sapientiam tunc monstrare ac | gloriam inciperet ut pueris imo cunctis exemplum prestitum in templo et in cultu et opere dei praeberet, ut tandem amore spiritualis per tritus in sapientia et virtutibus carnales parentes ostenderet relinquendos. Hic nos docuit, fratres, puer Jesus enim renuntiandum parentum et cognatorum affectibus ei qui velit celestis doctrinae professionem suscipere. Propterea apostoli relictis omnibus secuti sunt dominum. Nisi quis relinquerit patrem et matrem hic multa de renuntiando seculo et sequendo, domini dici potest. Et non cognoverunt parentes ejus. Id eos latere voluit ut nos instruet cum bonum aliquod aggredimur, ne parentibus quietis notificandum esset. Hoc secundum divinam providentiam factam est ne prohiberetur quasi pueris sine litteris. Existimantes autem illum esse in comitatu venerunt iter diei. Autem consuetudinem fuisse ut viri et feminae venientes ad praefatas solemnitates et ad propria redeuntes seorsum inciderent, infantes autem cum quolibet parente poterant ire. Igitur Maria putabat puerum cum Joseph esse et adverse. Suspicantes igitur esse inter eos qui pariter incedebant venerunt iter diei. Unum diem consumpserunt a Hierusalem recedentes et requirebant eum inter cognatos et notos. Vespere facto sollicita ex se mater filium expectabat quem putabat in turba esse. Non invenientes, regressi sunt in Hierusalem requirentes eum. Non invene-

(fol. 42, r.)

runt inter parentes ad insinuandum quod amor carnalis plurimum impedit a vocatione divina et inventione Christi. Hic igitur frustrata spe cum magis parentum animos sollicitudo discretiaret, reversi sunt Hierosolymam suspicantes eum apud amicum aut notum aliquem atque ita per tres dies quaesierunt eum. Et quem cibum, quem somnum, quam quietem hiisce tribus diebus putas fuisse Mariae et Joseph. Idque quo eum plus diligebant tanto vigilantius quaerebant dilectum, non quod timerent aliquid sinistri potuisse illi accidere, quem sciebant filii dei Altissimi sed ne negligentia eorum offensus suam eis divinitatem subtraxisset. Quo tempore mater saucia dicere poterat: Adjuro vos filiae hierusalem ut si inveneritis dilectum meum nuntietis mihi, quo amore languor. Et factum est post triduum invenerunt eum sedentem in medio (fol. 42, v.) doctorum. | In templo invenerunt Christum, non in theatro, foro, ludorumve loco ut pueri hodie inveniri solent, ad inveniendum quod Christum optantes invenire templum oratorium ecclesiam ingredi debent, non immunda tamen loca, non tabernas et locos vanitatum. Hic puer Jesus invenitur non osiosus aut luscitans, sed sedens in medio doctorum quos audiebat et interrogabat ac vicissim interrogatus respondebat, simul nos ad discendi studium accedens docensque nullam aetatem propterea esse ad discendum ea quae ad pietatem pertinent. Pueri igitur coeteri discant hic se doctoribus applicare a quibus virtutibus et scientiis valeant informari juxta illud Ecc. 6. Si videris sensatum statim evigila ad illum. Item audiebat doctores ut exemplum praeberet simplicibus et maxime pueris ut magistros et seniores potius audire curent quam docere praesumat. Praesertim cum scriptum sit: Sit omnis homo velox. Item audiebat et interrogabat non ut disceret ut prudenter interrogando doceret eos qui legis scientiam profitebantur cum legis vim ignorarent. Stupebant autem omnes super prudentia. Vehementer mirabantur non solum ob inauditam pueri sapientiam viris ob raram vultus gestus linguaeque modestiam. Et videntes admirati sunt Maria et Joseph cum gaudio obstupuerunt non tamen propter scientiam ejus sed etiam audaciam. Et dixit mater ejus ad illum: fili quid fecisti nobis sic ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. Non praesumpsit illum alioqui quamdiu vidit eum cum doctoribus occupatum, sed puer matrem adesse conspiciens actu completo venit ad illam quae mox concussis visceribus maternis dulciter humiliter tanquam mater ait ad illum. O Fili quid fecesti nobis sic nobis ignorantibus in Hierusalem reveniendo. Dulciori vocabulo et mitiori loqui non poterat quam dicendo: fili ecce pater et ego jam dies aliquot anxii te quaesivimus omnia metuentes tibi; quae

parentum pietas solet amatis liberis metuere. Et dixit ad illos quid est quod quaerebatis. Nesciebatis... Ad hunc Mariae sermonem a primo quidem affectu profectum sed humano ob quem non oportebat interpellari rem divinam Jesus subdure respondit, non quod indigneratur parentibus sed ut ostenderet in evangelii negotio ad quod missus erat a patre, non oportere locum esse humanae genti, par est enim ut humana cedant divinis, et potior est ratio fidei quia in his quae patris mei sunt. In templo dei patris et in ejus negotio. Et ipsi non intellexerunt. Haec oratio Jesus quod sibi vellet non satis intellectum est a parentibus. Et descendit cum | illis. Erubescant pueri qui negligunt monita parentum ad (fol. 43, r.) honesta vocantium, cum jesus ad tempus reliquit patris negotium ne quam praeberet speciem filii immorigeni. Erubescant invidiose nobiles adversus suos pastores cum Jesus major obsequium daret minoribus, deus hominibus. Docet, inquam, ut subditi simus. Atque hic multa de gradibus obedientiae dici possunt. Et mater ejus conservabat omnia verba. Nihil adhuc efficiebat muliebri loquacitate, sed recondebat in pectore quid ab initio acciderat circa puerum, quidquid ab eo dicebatur vel fiebat ex admirandis initiis rerum exhinde conjectandam. Conservabat igitur examinans apud sese utpote quae non vulgariter dicta erant. Et Jesus proficiebat. Jesus aetate, sapientia et gratia apud deum et homines. Jamque puer lege humanae naturae ad haec paulatim proficiebat. donec venerit praefruitium a patre tempus quo sese miraculis et praedicaret mundo perferret. Jesus enim usque annum ferme 30 nihil admodum insigne gessit nisi quod supra humanum modum perficietur corporis statura, virum et aetatis accessu et in eo sese praemebat celestis illa sapientia et reliquae dotis divinae, quibus ut erat deo commendatissimus ita hominibus magis ac magis commendabatur ut, inquam, nos doceret ab ipsa statim infantia justitiam imbibere, perpetuo progressu ad perfectiora venire. Sic igitur dominus noster det nobis imitatione sui ita cum aetate sapientia et gratia sua profiscere ut aeternum patrem per ipsum et cum Spiritu Sancto tandem magnificare in perenni aeternitate et futura gloria, ad quam perducat.